



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Tertiæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

Vtrum character confirmationis characterem baptismalem
pr[a]esupponat? 6

urn:nbn:de:hbz:466:1-38725

quæ pertinent ad pugnam spirituale[m] contra hostes fidei, Sicut patet ex exemplo Apostolorum: qui antequam plenitudinem Spiritus sancti acciperent, erant in cenaculo perseverantes in oratione: postmodum vero egressi non verebatur publice fidem fateri, etiam coram inimicis fidei Christianæ. Et ideo manifestum est, quod in sacramento confirmationis imprimitur character.

Ad primum ergo dicendum, quod pugna spiritualis contra hostes invisibiles, omnibus competit. Sed contra hostes visibiles, id est, contra persecutores fidei, pugnare, nomen Christi publice confitendo, est confirmatorum: qui iam sunt perduci spiritualiter ad virilem ætatem: secundum quod dicitur primæ Ioannis 2. Scribo vobis iuvenes quoniam fortes estis, & verbum Dei in vobis manet, & vicistis malignum. Et ideo character confirmationis est signum distinctivum, non infidelium à fidelibus, sed spiritualiter provectorum ab his quibus dicitur, Sicut modo geniti infantes.

Ad secundum dicendum, quod omnia sacramenta sunt quedam fidei protestationes. Sicut igitur baptizatus accipit potestatem spirituales ad protestandam fidem per susceptionem aliorum sacramentorum: ita confirmatus accipit potestatem publice fidem Christi verbis profitendi, quasi ex officio.

Ad tertium dicendum, quod sacramenta veteris legis dicuntur iustitiæ carnis (ut patet Hebr. 9) quia scilicet interius nihil efficiebant. Et ideo in circumcissione imprimebatur character solum in corpore, non autem in anima. Sed in confirmatione cum character corpore imprimitur simul character spiritualis; eo quod est sacramentum novæ legis.

ARTIC. VI.

Utrum character confirmationis presupponat characterem baptismi?

419

Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod character confirmationis non presupponat ex necessitate characterem baptismalem. Sacramentum enim confirmationis ordinatur ad confitendum publice

4 d 7. q.
2. a. 1. q. 3.
et d. 24.
q. 1. ar. 2.
q. 3. et 4.

Tgr. Par. Vol. ij.

P fidem

fidem Christi . Sed multi etiam ante baptismum sunt fidem Christi publice confessi, sanguinem fundentes pro fide . Ergo character confirmationis nõ præsupponit characterem baptismalem .

¶ 2 Præterea , De Apostolis non legitur quòd fuerint baptizati ; (præferrim cum dicatur Ioannis 4 . quòd ipse Christus non baptizabat , sed discipuli eius) & tamen postea fuerunt confirmati per aduentum Spiritus sancti . Ergo similiter alij possunt confirmari antequam baptizentur .

¶ 3 Præterea , Act. 10 . dicitur , quòd adhuc loquente Petro , cecidit Spiritus sanctus super eos qui audiebant verbum , & audiebant eos loquentes lingua : & postea Petrus iussit eos baptizari . Ergo pari ratione possunt alij prius confirmari , quam baptizentur .

SED contra est , quod Rabanus dicit in libro * de institutione clericorum , Nouissime à summo sacerdote , per impositionem manus Paracletus traditur baptizato , vt roboretur per Spiritum sanctum ad prædicandum .

RESPONDEO dicendum , quòd character confirmationis ex necessitate præsupponit characterem baptismalem : ita scilicet , quòd si aliquis non baptizatus confirmaretur , nihil reciperet . sed oporteret iterato ipsum confirmari post baptismum . Cuius ratio est : quia sicut se habet confirmatio ad baptismum , ita augmentum ad generationem : vt ex supra dictis patet * . Manifestum est autem , quòd nullus potest promoueri in ætatem perfectam , nisi primo fuerit natus . Et similiter nisi primo aliquis fuerit baptizatus , non potest sacramentum confirmationis accipere .

Ad primũ ergo dicendum , quòd virtus diuina non est alligata sacramentis . Vnde potest conferre homini spirituale robur ad confitendum publice fidem . Christi absque sacramento confirmationis , sicut etiã potest cõsequi remissionem peccatorum sine baptis-

mo .

*Ar. 1. c. 31
in princ.
& habetur
de cõ.
se dist. 5.
cap. 5.*

*Ar. 1. hu
ius quas.*

mo. Sicut tamen nullus consequitur effectū baptismi sine baptismi voto, ita nullus consequitur effectum confirmationis sine voto ipsius: quod potest haberi etiam ante susceptionem baptismi.

Ad secundum dicendum, quod sicut Aug. † dicit ad Seleucianum, ex hoc, quod Dominus dicit Ioan. 13. Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lauet: intelligimus Petrum & alios Christi discipulos fuisse baptizatos, siue baptismi Ioannis (sicut nonnulli arbitrantur) siue, quod magis credibile est, baptismi Christi: neque enim tenuit ministerium baptizandi, ut haberet & baptizatos seruos, per quos ceteros baptizaret.

epif. 108.
a medio
10. 2.

Ad tertium dicendum, quod audientes prædicationem Petri, acceperunt effectum confirmationis miraculosè: non tamen confirmationis sacramentum. Dicitur enim *, quod effectus confirmationis potest alicui conferri ante baptismum: non autem sacramentum confirmationis. Sicut enim effectus confirmationis, qui est robur spirituale, præsupponit robur baptismi, qui est iustificatio: ita sacramentum confirmationis præsupponit sacramentum baptismi.

a 4. et 2.
ad 1. ar.

ARTIC. VII.

Utrum per sacramentum confirmationis conferatur gratia gratum faciens?

AD septimum sic proceditur. Videtur, quod per hoc sacramentum gratia gratum faciens, non conferatur. Gratia enim gratum faciens ordinatur contra culpam. Sed hoc sacramentum (sicut dictum est *) non exhibetur nisi baptizatis, qui sunt à culpa mundati. Ergo per hoc sacramentum, gratia gratum faciens non confertur.

420
4. d. 7. q.
2. ar. 2.
ar. præ.

¶ 2. Præterea, Peccatores maximè indigent gratia gratum faciente, per quam solam iustificari possunt. Si ergo per hoc sacramentum gratia gratum faciens confertur, videtur quod deberet dari hominibus in peccato existentibus: quod tamè non est verum.

P 2 ¶ 3 Præ-